AUTHOR:

KRETZ, CARL

TITLE:

DE LUCIANI DIALOGO...

PLACE:

OFFENBURG

DATE:

1891

Master Negative #
92-80523-18

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Kretz, Carl
De Luciani dialogo Toxaride, scripsit C. Kretz ... Offenburg, Reiff, 1891.
19 p. 25½ cm.

"Beilage zum Jahres-bericht des Gymnasiums in Offenburg ..."

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 14X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-2-92 INITIALS SA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

De Luciani dialogo Toxaride

scripsit

C. Kretz.

Beilage zum Jahres-Bericht des Gymnasiums in Offenburg

1890—1891.

Offenburg.
Druck von A. Reiff & Cie.
1891.

1891. Progr.-Nr. 604.

Immanuelus Bekkerus in editionis Luciani operum præfatione hæc scripsit: „postquam animum ad edendum appuli, nihil habui antiquius quam ut eam investigarem continuationem seriemque libellorum, qua alius ex alio nexus et omnes inter se apti et colligati viderentur." Ab his initiis profectus Bekkerus ordinem certum Luciani libellorum restituere conabatur idque ita, ut omnes libellos, qui non bene huic ordini inseri potuerunt aut qui nescio qua de causa Luciani nomine indigni videbantur, genuinos esse negaret. Atque eo adductus est, ut duodetriginta spurios esse contenderet. Contendit quidem, non probavit; nam ne unum quidem argumentum ad opinionem suam defendendam attulit. Quæ ratio cum haud paucis viris doctis non probaretur, Isidorus Guttentagius, discipulus I. Bekkeri conabatur sententiam magistri tueri. Qui ad Luciani dialogum Τόξαρις ἢ φιλία, quem libellum inter ceteros Bekkerus tacito spurium declaraverat, animum attendit atque commentatione, quæ inscribitur: „De subdito qui inter Lucianeos legi solet dialogo Toxaride" Bekkerum recte iudicasse, ut demonstret, valde operam dat. Ipsi quidem dialogum Toxarim subditum esse usque eo persuasum est, ut dissert. p. 3 satis audacter scribat: „atque ita hoc me exsecuturum esse puto, ut nemo bene sanus dehinc Luciani, elegantis scriptoris, nomine Toxarim dialogum dignum existimet." Quod quo iure dicat, iam quæramus.

Priusquam singula persequar, in universum monendum puto cum alios viros doctos tum Guttentagium Luciani opuscula tractantes nimis multis in rebus offendisse, quasi Lucianus diligentissimus fuerit scriptor atque ubique semperque acute anxieque cautionem atque diligentiam adhibuerit, ne quid scriberet, quod ab usu et ordine abhorreret. Neminem vero puto esse qui neget Lucianum fuisse scriptorem elegantissimum; sed non minus quicunque libellos eius perlegit mea sententia concedit permultos locos inveniri, quibus scriptor non nimis diligenter se gessit. Equidem a Rothsteinio dissentire nolim, qui dicit (Quæst. Lucianeæ p. 100) Lucianum minime pari diligentia tractare singula solere, a cogitandi autem et dicendi severitate illa quæ ab antiquis scriptoribus posci soleat quam maxime abesse. Itaque si quis libelli, qui adhuc a Luciano scripti putabantur, utrum genuini an spurii sint discernere vult, accuratissime in opera Luciani se insinuet et, ut Fritzschii verbis utar, in ipsius scriptoris ingenium, tanquam in aliquod sacrarium studeat penetrare necesse est. Mirum ergo non est quod Fritzschius l. „De libris pseudolucianeis" (ed. Luc. vol. III pag. LXIV—LXXXI) non raro Bekkerum acriter petivit. Ante omnia hæc verba digna videntur, quæ moneantur: „neque in tota Bekkeri editione ulla coniectura extat, quam ex usu unius petierit Luciani. Quo magis licet mirari, unde hic criticus sibi visus sit exploratum habere, quid dignum Luciano esset quidve indignum." Eadem de causa ex Guttentagio quæri potest, quid habuerit, quod Toxarim Luciani nomine indignum putet. Nam ni fallor ne uno quidem loco, quo aliqua in re offendit, ad Luciani ipsius sermonem et rationem scribendi respicit. Itaque, quamquam ne ad talem laborem

subeundum non satis instructus sim vereor, conari tamen velim Guttentagium non semper recte iudicasse demonstrare.

Primum quidem G. verba pauca de dialogi argumento et dispositione facit. Jam pag. 2 locum monet, quo scriptorem peccasse contendit. Toxaris enim, postquam disertissime exposuit, cur et qua ratione Scythæ Orestem et Pyladem colerent, proponit Mnesippo, ut uterque quinque paria amicorum suæ gentis proferat, ut intellegatur, utrum apud Scythas an Græcos meliores amici reperiantur; quo in certamine Scythas Græcis superiores fore Toxaridi iam persuasum est ita, ut pergat ὁπότερος . . . ἀμείνους παράσχηται τοὺς φίλους, αὐτός τε νενικηκὼς ἔσται καὶ τὴν αὑτοῦ ἀνακηρύξει. κάλλιστον ἀγῶνα καὶ σεμνότατον ἀγωνισάμενος· ὡς ἔγωγε πολὺ ἥδιον ἄν μοι δοκῶ μονομαχῶν ἡττηθεὶς ἀποτμηθῆναι τὴν δεξιάν, ὅπερ τῆς Σκυθικῆς ἐπιτίμιόν ἐστιν, ἢ χείρων ἄλλου κατὰ φιλίαν κεκρίσθαι. Ad hæc G. adnotat: „malle se igitur dicit (Toxaris) certamine singulari victo dextram amputari, quam se in amicitia alio viliorem iudicari, se vero victum re vera id pati velle non dicit. Mirandum præterea est, quod Mnesippus μονομαχεῖν voce, quæ de eis tantum usurpatur, qui in singulari pugna armis contendunt, propositum de amicis utriusque gentis certamen significari intellegit.“ Re vera elucet cap. 11 Mnesippum putare Toxarim verbis suis declarare se certamine de amicis utriusque gentis proposito victum dextram sibi amputari passurum esse. Itaque concedendum est G. hoc non iniuste vituperare. Sed etiam inde elucet quam subtiliter in scriptorem inquirat. Primum quidem non afferre neglegam eum vix iure in universum dicere vocem μονομαχεῖν de eis tantum usurpari, qui in singulari pugna armis contendant neque hac voce concertationem verborum significari posse. Nam hanc ipsam significationem Lucianus exhibet Eunuch. 3, quo loco de philosophis inter se disputantibus et clamantibus dicitur. Sed nostro loco num putare liceat verbo hanc significationem tribuisse scriptorem ipse dubito. Haud scio an ὡς vocabulum primum locum enuntiati obtinens ad verba antecedentia non bene quadret. Scytham dicentem audiamus: is, qui amicitias pulchriores narraverit, palmam feret; ego igitur malo mihi dextram amputari certamine singulari victo, quam seq. Hoc loco vocem ὡς plane superfluam esse pro certo statuendum esse puto et suspicor particulam olim non ante ἔγωγε sed ante μονομαχῶν fuisse et neglegentia librarii loco suo motam esse. Difficultas hac leni mutatione solvitur. Si enim legimus Scytham dicere: „equidem malim ut victus certamine singulari dextra privari, quam in amicitia alio vilior iudicari“, non iam mirum est quod Græcus sive iratus, quoniam Toxaris his verbis Scythas amicitia Græcis multo præstare sibi persuasum esse satis dilucide profitetur, sive per iocum respondet: bene habet! da mihi fidem te ita facturum, ego idem polliceor. Immo vero quod G. dicit: „malle se dicit sibi victo dextram amputari, re vera id pati velle non dicit“ et quod offendit in verbis ἢ χείρων ἄλλου κατὰ φιλίαν κεκρίσθαι, cum non de ea re disceptetur, uter eorum amicus præstantior sit, sed utrum Scythæ amicitia præstent an Græci, iam nunc statuendum est, tales indiligentias multas inveniri apud Lucianum. Sed, cum infra de hoc usu Luciani nobis dicendum sit, iam plura ad hunc locum addi non necesse est.

Cum autem Scytha et Græcus in fine dialogi id quod constituerant non perficiunt, G. quibus verbis totum libellum quam maxime condemnat vix reperit. Quod neminem ei consentire puto, quoniam res vix pulchriore modo solvi potuit. Num vituperandum est quod alter linguam alter manum non obsecat? Scytha et Græcus cognoscunt utrumque amicitias claras proferre posse itaque desinunt inter se concertare et amicitiam ineunt.

His præmissis G. dicit tria potissimum scriptoris Toxaridis propria esse, e quibus huius ingenii egestatem et pravitatem maxime appareat: „in proferendis, inquit, amicorum paribus pericula, quæ alter pro altero adit, ita auget, ut ea, quæ narrantur, nullo pacto fieri potuisse appareat; deinde gravioribus ita adiungere levia solet, ut rerum descriptio inepta sit; tum aut, quod pessimum tautologiæ, ut ita dicam, genus est, nonnunquam unum idemque et causam rei et rem ipsam ponit, aut quæ quid efficiunt cum eis, quæ efficiuntur, confundit.“ Hæc ad verba puto Rothsteinium spectare scribentem (pagg. 37 et 38) iis quæ de libelli sermone diligentissime observaverit G., plane contrarium sibi videri demonstrare eius sententiæ quam ille Bekkerus secutus probare voluerit. Eis verbis quæ G. primo loco facit haud scio an nimis severe scriptorem petat. Ante omnia non quærendum est, ea quæ narrantur vera fictane sint. Omnia fere sine dubio indigna sunt, quibus fides habeatur. Sed hinc non sequitur libellum Luciano denegandum esse. Immo vero quærendum est, Lucianus hoc opusculum componens quid sibi voluerit. Huic quæstioni autem a Rhodio iam diu responsum verum datum est. Qui vir doctissimus l. „Der griechische Roman und seine Vorläufer“ p. 336, postquam de sophistis, qui vocantur, Luciani ætate florentibus eorumque moribus, scriptis, genere dicendi plurima exposuit, docet: „Man versuchte aber auch, teils in mythischen Erzählungen, teils in selbst erfundenen Novellen die Kunst des Erzählers trotz dem besten epischen Dichter zu bewähren. Hierher gehören teils einige Stücke in Aelians „vermischten Geschichten“, teils solche Versuche wie Lucians Toxaris“. Itaque non putandum est rem tam gravem esse quam G. videtur. Non certamen Lucianus proponit, quo alter alterum acriter ingreditur, sed id solum agit, ut nos narrationibus aliquot delectet. Idque ut bene perficiatur resque cum alacritate proferantur, dialogi forma utitur. Quod autem dictiones uberæ sunt et res nimis augentur et vario modo exornantur, non licet nobis offendere. Nam in declamationibus, προλαλιαῖς illis aliisque libellis a Luciano iuvene scriptis eadem ratio invenitur; fortasse igitur concludi potest cum C. F. Hermanno Toxarim illis temporibus compositum esse, quibus Lucianus studiis rhetoricis nondum animum abverterat. (C. F. Hermann, Gesammelte Abhandlungen p. 211.) Hac de re infra nobis plura dicendi erit occasio.

Vitia alia, quæ G. monuit, inveniri statim nonnullis exemplis demonstrare conatur. Primum p. 3 verba c. 1 τί θηρώμενοι παρ' αὐτῶν; οὐ γὰρ δὴ ἐπ' εὐμενείᾳ θύετε αὐτοῖς, νεκροῖς γε οὖσιν ferri posse negat. Hoc dicit Mnesippus ad Toxarim, qui explicat quam magnis honoribus et laudibus Orestes et Pylades apud Scythas efferantur. Hic G. scriptorem ea quæ efficiantur cum eis quæ quid efficiant confudisse putat. Nonne, inquit, qui ab altero aliquid per bonam gratiam adipisci studet, benevolentiam eius sibi comparet oportet? ita ut credere quispiam queat gratiam mortuorum conciliari posse, bona ab eis impetrari non posse, vecordis vero hominis sit cogitare, bona ab eis impetrari posse, gratiam conciliari non posse, quod mortui sint.“ Nimis subtiliter G. se gerere puto. Verbo θηρᾶσθαι minime significationem „bona impetrare cupire“ inesse statui oportet; idem vero valet quod „petere“ et locus, si interpretamur: quid omnino petitis ab eis? ut benevoli vobis sint certe non sacrificatis, nam id impetrare non potestis, quoniam mortui sunt, simplicissimus neque quicquam falsi aut perversi in verbis latere mihi videtur. Si quis ita ut G. omnes in Luciani libros inquireret, permulti loci ei offensionem præberent.

Pag. 4 G. tractat locum c. 5: ὃ δὲ δὴ μάλιστα καταπλαγέντες τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων ἐπαινοῦμεν, τοῦτό ἐστιν, ὅτι ἡμῖν ἔδοξαν φίλοι οὗτοι δὴ ἄριστοι ἁπάντων γεγενῆσθαι καὶ τοῖς ἄλλοις νομοθέται καταστῆναι,

ὡς χρὴ τοῖς φίλοις ἁπάσης τῆς τύχης κοινωνεῖν, καὶ ὑπὸ Σκυθῶν τῶν ἀρίστων θεραπεύεσθαι. Extrema huius enuntiati verba καὶ . . . . . θεραπεύεσθαι eis, quæ antecedunt, perverse adiuncta esse iam diu viri docti probaverunt. Jacobitius ad locum defendendum attulit verba c. 21 libelli de Peregrini morte ἀνοῖξαι γὰρ μόνον τὸ στόμα καὶ αὐτίκα τεθνάναι atque adnotavit „ex antecedente ὡς χρή cogitatione ad hæc (Toxaridis) verba adde ὡς δυνατόν ἐστιν et videbis verba optime cohærere". Sed hoc modo locum minime sanari G. recte docet. Itaque, nisi forte cum Solano locum omnino non intellegi posse putare volumus, id tantum restat, ut Jacobo assentiamur, qui verba ita scribi vult . . . . . . τοῦτό ἐστιν, ὅτι ἡμῖν ἔδοξαν φίλοι οὗτοι δὴ ἄριστοι ἁπάντων γεγενῆσθαι, καὶ καταστῆναι . . . . καὶ . . . . θεραπεύεσθαι.

Verba c. 3 γελοῖα γὰρ ἂν ταῦτα δόξειε καὶ ὑπεναντία τοῖς πάλαι male ad antecedentia adiungi iudicat, cum eis nihil novi addatur, sed pæne idem repetatur. Sed G. non consentio. Mnesippus dicit per iocum videri Scythas Orestem et Pyladem deos credere propterea quod ei e terra Scytharum deos auferre ausi sint (c. 2 εἶτ', οἶμαι, ἀντὶ τῶν θεῶν ἁπάντων τοὺς ἐπ' ἐξαγωγῇ αὐτῶν ἥκοντας ἄνδρας ἐκθειάσετε καὶ ἱεροσύλοις ὑμῶν θύσετε ὡς θεοῖς), aliam causam se intellegere non posse; si res ita se non habeat, dicat Toxaris veram causam, nam ipsi hanc rem ridiculam et pristino Scytharum mori contrariam videri. Si quidem eo modo quo G. locum explicaremus, haud dubie nobis legendum esset: γελοῖα δὲ ἂν ταῦτα δόξειε κτλ. Eumque ita sensisse elucet ex eius interpretatione loci: „si eos, quibus antea non sacrificavistis ut deis, nunc nullo beneficio accepto e contrario deos esse creditis sacrificiisque colitis, — contrarium faciatis ei, quod antea facere solebatis".

His prolatis G. exempla congerit, quibus alterum illud vitium scriptoris proprium — gravioribus ita adiungere levia solet, ut rerum descriptio inepta sit — cognosci vult.

Primum quidem vituperat, quod c. 7 gravioribus οὐκ ἀνθρώπινα ταῦτα ᾠήθημεν εἶναι prave subiuncta sint leviora (ἀλλά τινος γνώμης βελτίονος) ἢ κατὰ τοὺς πολλοὺς τούτους ἀνθρώπους. οἳ κτλ. Pro uno tantum vocabulo ad rem simplicem significandam Lucianus multa verba exhibuit; quem usum eum adamasse omnibus qui scripta perlegerunt notum est. Præterea monendum est multos locos apud Lucianum extare, quibus aut leviora post graviora posita aut leviora et graviora commixta leguntur. Afferam hos tantum: Rhet. præc. 23 ληρεῖν ἢ ἐπιορκεῖν ἢ λοιδορεῖσθαι ἢ διαβάλλειν ἢ ψεύδεσθαι. Charon 11 οὐ γὰρ οἶσθα ὅσοι πόλεμοι διὰ τοῦτο καὶ ἐπιβουλαὶ καὶ λῃστήρια καὶ ἐπιορκίαι καὶ φόνοι καὶ δεσμὰ καὶ πλοῦς μακρὸς καὶ ἐμπορίαι καὶ δουλεῖαι; Gall. 20 δουλεύσας βασιλεῦσι καὶ πένησι καὶ πλουσίοις. Phalar. I, 8 ἄγριον καὶ ἀνήμερον ἄνθρωπον εἶναι. Alex. 4 ἀλεξίκακε Ἡράκλεις καὶ Ζεῦ ἀποτρόπαιε καὶ Διόσκουροι σωτῆρες. — Huc spectant c. 19 quoque hæc verba πνιγόμενον καὶ μόγις ἑαυτὸν ὑπερέχοντα pro quibus rectius dicendum esse G. videbatur: μόγις ἑαυτὸν ὑπερέχοντα καὶ πνιγόμενον.

Non minore iniuria G. offendere mihi videtur in c. 7, quod, postquam a Toxaride longe lateque dictum sit: „hoc enim scias amicitia maius a Scythis nihil existimari, neque esse quicquam, in quo magis glorientur, quam si participes periculorum amicis se præbuerint; propterea Orestem et Pyladem colimus, cum præstantissimi fuerint in eis, quæ bona Scytharum sunt", denuo ad satietatem repetatur καὶ ἐν φιλίᾳ διενεγκόντας, ὃ πρῶτον ἡμεῖς ἁπάντων θαυμάζομεν. Elegantiæ vero non est easdem res iterum atque iterum dicere, sed quod non eleganter dictum est a Luciani usu dicendi abhorrere contendere non licet. Nam hic non est solus locus, quo Lucianus tam copiose et abundanter loquitur, sed hunc usum persæpe apud eum invenimus.

„Ubique enim in Luciani scriptis apparet sermonis non abundantia aut ubertas, sed luxuria et loquacitas sæpius vix tolerabilis, qua maxime minui horum opusculorum elegantia mihi videtur. Neque tam proprium hoc est vitium Luciani quam commune illius ætatis qua singulorum verborum propriæ significationes neque ab iis qui recitabant neque ab auditoribus ea vi percipiebantur, ut non eadem iterum iterumque inculcando orationis vim intendere sibi videri possent". Quæ verba Rothsteinii (Q. L. p. 101) vera esse omnibus qui Luciani rationem scribendi cognitam habent profitendum est.

Maioris momenti sunt verba c. 15 καί που καὶ ᾆσαι καὶ κιθαρίσαι, quæ G., cum antea copiose enarratum sit quibus astutis artificiis Chariclea adulescentes capere et delenire scierit, inepte adiungi sibi persuasit. Idem valet ad c. 14 extr. καί που συνηνέχθη πολλὰ ἱκετευθείς, quem locum eadem pagina G. tractat. Quos locos miros videri non negem, sed a Luciani elocutione non alienos eos esse aliis locis cognoscitur. Vox πού non raro adhibetur, ut aliquid certi modeste aut leniter proferatur. Digni, qui adscribantur, loci extant Pro merc. cond. 17, ubi postquam antecedentibus enuntiatis longe lateque narratum est, quam acriter homines illi epulantes hospitem miserum cavillarentur, par. extr. dicitur καί που ἤδη καὶ πρὸς διαβολάς τινες αὐτῶν παρασκευάζονται. Eiusdem libelli c. 39 eodem modo legitur καί που καὶ διαβολή τις ἠρέμα ὑπεξανίσταται κτλ. Deor. dial. 6, 5 αὐχήσει κατελθὼν ἴσως καὶ διηγήσεται ἅπασι λέγων συγγεγενῆσθαι Ἥρᾳ καὶ σύλλεκτρος εἶναι τῷ Διί, καί που τάχ' ἂν ἐρᾶν με φήσειεν αὐτοῦ. Scytha 2 τὰ δὲ ἄνω τῆς στήλης καὶ τὸ πρόσωπον ὁ χρόνος ἤδη ἐλυμήνατό που. Præterea verba καί που συνηνέχθη πολλὰ ἱκετευθείς obscœne dicta esse G. negari vult idque quod sua sententia, si ita interpretaremur, πολλὰ ἱκετευθείς ad sensum non quadraret. Sed ex Sympos. 46 elucet formam συνενεχθῆναι cum obscœnam significationem habere tum verbis πολλὰ ἱκετευθείς perbene adiungi posse. — Neque nobis placent G. verba „atque magis etiam mirabile id fit propterea, quod in eis, quæ referre pergit (καὶ τὸ ἐντεῦθεν ἤδη ῥᾷον κτλ.) minime de ea re dubitare videtur", nam ea quæ sequuntur referri possunt ad verba ἕως δὴ ὁ μακάριος ἐπείσθη καλὸς εἶναι καὶ ταῖς Ἐφεσίων γυναιξὶ περιπόθητος, quæ pro certo dicta sunt.

Quamquam iam constare puto G. non iure scriptori opprobrio tribuere quod ab eo eædem res iterum atque iterum repetantur aut quod levia gravioribus adiungantur, tamen adnotationem eius ad finem c. 15 non omittam. Dicit enim notionem καὶ λύττα ἦν ἀκριβὴς τὸ πρᾶγμα denuo, quamquam antecedenti enuntiato satis superque res quomodo se habeat explicatum sit, confirmari argumentis, quæ per se quidem non mediocria leviora tamen sint quam ea, quæ antecesserint. Quod G. non consentio; mihi quidem verba, quæ post καὶ λύττα ἦν ἀκριβὴς τὸ πρᾶγμα extant (τὰ μὲν γὰρ δῶρα οὐ κατὰ μῆλα καὶ στεφάνους ἀντεδίδοτο αὐτῇ, ἀλλὰ συνοικίαι ὅλαι καὶ ἀγροὶ καὶ θεράπαιναι καὶ ἐσθῆτες εὐανθεῖς καὶ χρυσὸν ὁπόσον ἐθελήσειεν) optime quadrare videntur, quoniam eis elucet non modo quantus fuerit amor nefastus ille Diniæ, sed etiam quanta calamitate ex eo affectus sit. —

De eis quæ G. de c. 19 — in quo post levia illa mala, decumanas undas et turbinem, grando, gravis navigantibus calamitas addatur — profert, non iam quicquam monere necesse est, quoniam supra satis dictum est de hoc Luciani usu. Rectius dicit pro σφᾶς δὲ ἐπιθυμεῖν μὲν αὐτοῖς βοηθεῖν καὶ ἐλεεῖν τὴν συμφορὰν τῶν ἀνδρῶν, μὴ δύνασθαι δὲ . . . . melius scribendum fuisse σφᾶς δ' ἐλεεῖν τὴν συμφορὰν τῶν ἀνδρῶν καὶ ἐπιθυμεῖν μὲν αὐτοῖς βοηθεῖν, μὴ δύνασθαι δὲ . . . . Quem locum neglegenter scriptum nemo neget, sed hæc non est causa, cur eum omnino non

probemus; nam alias quoque Lucianum neglegenter scripsisse scimus; mihi quidem in mentem venit De saltat. 27 . . . ὅταν δὲ Ἡρακλῆς αὐτὸς εἰσελθὼν μονῳδῇ ἐπιλαθόμενος αὑτοῦ καὶ μήτε τὴν λεοντῆν αἰδεσθεὶς μήτε τὸ ῥόπαλον ὃ περίκειται. —

His locis tractatis, quibus tria illa vitia scriptoris propria optime cognosci putat, G. ad initium dialogi revertitur et locos omnes, quibus quid offensionis inesse suspicatur ex ordine illustrat. Primum c. 1 M. νόμος δὲ ὑμῖν καὶ ἀνδράσιν ἀγαθοῖς ἀποθανοῦσι θύειν ὥσπερ θεοῖς; T. οὐ μόνον. ἀλλὰ καὶ ἑορταῖς καὶ πανηγύρεσι τιμῶμεν αὐτοὺς verborum constructio ei non placet; post οὐ μόνον addendum esse θύειν, quod is qui legat adduci possit, ut ad verba οὐ μόνον ex antecedentibus voces τοῖς ἀνδράσιν intellegat. Nimis subtiliter hic se gerit G. Sed fac dictionem male adhibitam et dignam esse, quæ vituperetur, tamen non abhorret a Luciani usu dicendi. Afferi liceat Paras. 43 verba καὶ λόγους λέγειν ἠσκημένοι. ἀρετὴν δέ οὐ, ubi haud scio an simili modo post ἀρετὴν δέ οὐ exhibenda sit vox ἠσκημένοι. ne quis putet supplendam esse vocem λέγειν. Aptius fortasse ad Toxaridis locum exhibeamus Dial. Mar. I, 2 Δ. Ἔοικας, ὦ Γαλάτεια, οὐκ ἐραστήν, ἀλλ᾽ ἐρώμενον ἔχειν τὸν Πολύφημον, οἷα ἐπαινεῖς αὐτόν. Γ. Οὐκ ἐρώμενον, ἀλλὰ τὸ πάνυ ὀνειδιστικὸν τοῦτο οὐ φέρω ὑμῶν κτλ. Hic enim post ἐρώμενον verbum ἔχω desideratur. Optime ceterum inde intellegi potest, qua ratione in Toxaridis scriptorem G. animadvertat, quippe qui sibi persuaserit, Lucianum scripsisse diligentissime et semper usum Atticorum scriptorum observasse et hanc ob rem omnia quæ aliquo modo ab hoc usu abhorrent Luciano deneganda esse putet. Quam sententiam falsam esse Fritzschius, quo vix quisquam peritior elocutionis Luciani est, iam diu et Rothsteinius nuper docuerunt.

Ubertatem verborum ἐπιθέμενοι τοῖς δεσμοφύλαξι καὶ τῆς φρουρᾶς ἐπικρατήσαντες monet, quæ orationi non lucem afferat, sed tenebras offundat. Sed quicunque Luciani opera perlegerit, inveniet eum res simplicissimas persæpe non uno tantum, sed tribus aut quattuor vocabulis significare. Itaque non modo permultas tautologias, quæ vocantur, invenimus, sed etiam verborum abundantiam et strepitum. De usu Luciani quæ dicit Rothsteinius supra memorata sunt. Qui vir doctissimus multa exempla dissert. pagg. 101, 102, 103 notavit. Concedendum autem est cum Rothsteinio non in omnibus scriptis eundem huius usus gradum apparere. Idem iam C. F. Hermannus de Toxaride dicens monuit verbis his: „Schon Stil und Sprache zwingt uns, Werke wie Toxaris und Imagines in die Zeit zu setzen, wo sein Geist noch in jugendlicher Üppigkeit wucherte und noch nicht ganz aus dem erkünstelten Blütenrausche asiatischer Rhetorik zu der Nüchternheit des silberklaren Brunnquells attischer Prosa erwacht war“.

C. 2 verba καὶ τοὐντεῦθεν αὐτοὶ πρὸς τὰ παλαιὰ σκοπεῖτε non facilia esse intellectu non negandum est. Quod autem G. contendit verba ἐμοὶ μὲν γὰρ δοκεῖτε τάχιστα ἂν οὕτως ἀσεβεῖς αὐτοὶ καὶ ἄθεοι γενέσθαι ineptias non facetias continere, primum omnesne id ei consentiant dubitem deinde Luciani facetias non semper tam acres esse quam G. vult constare puto.

C. 3 verba δύο ὄντας perperam aut obscure, fortasse neglegenter pro δύο μόνους ὄντας scripta esse G. videntur. Sed hæc verba ut extant perbene ferri posse intellegimus Char. c. 4 verbis καὶ δυνησόμεθα. ὦ Ἑρμῆ, δύ᾽ ὄντες ἀναθέσθαι ἀράμενοι τὸ Πήλιον ἢ τὴν Ὄσσαν, quo loco δύ᾽ ὄντες idem valet quod „duo tantum“. Præterea conferas velim Iup. conf. 19 ἐδεόμην μὲν ἔτι κἂν τοῦτο ἐρέσθαι σε, ποῦ αἱ Μοῖραι διατρίβουσιν ἢ πῶς ἐφικνοῦνται τῇ ἐπιμελείᾳ τῶν τοσούτων ἐς τὸ λεπτότατον, καὶ τοῦτο τρεῖς οὖσαι; Dial. Mort. 9, 2 ΠΟΛ. Οὔκ, ἀλλ᾽ ἐραστὰς εἶχον μυρίους. ΣΙΜ. Ἐγέλασα· ἐραστὰς σὺ τηλικοῦτος ὤν, ὀδόντας τέτταρας ἔχων.

In verbis μὴ καταπλαγέντας μήτε τοὺς μύθους τοὺς ἐπ᾽ αὐτῷ μήτε τὴν προσηγορίαν καταδείσαντας difficultatem inesse non negandum est. G. igitur, cum μὴ καταπλαγέντας ad utramque partem adiunctam ad τοὺς μύθους et ad τὴν προσηγορίαν referendum sit, καταδείσαντας prorsus supervacaneum esse censet. Sed μὴ καταπλαγέντας ad priorem tantum partem (τοὺς μύθους) referri voluisse scriptorem intellegi potest ex simili loco, qui extat Anachars. 38: μὴ καταγελάσαι μηδὲ ἐκείνων μηδὲ οἴεσθαι μάτην πονεῖν αὐτούς.

Quod c. 4 in enuntiato πολλοὺς ἄν σοι θειοτέρους ἐκείνων ἀποδείξαιμι τοὺς ἐμπόρους καὶ μάλιστα τοὺς Φοίνικας αὐτῶν, οὐκ εἰς τὸν πόντον . . . . . ἐσπλέοντας ante οὐκ εἰς articulus aut particula ἅτε desideratur, num sit offensioni dubito. Nam Du Mesnilius p. 57 commentationis, quæ inscribitur „Grammatica, quam Lucianus in scriptis suis secutus est, ratio cum antiquorum Atticorum ratione comparatur“ ostendit multis locis articulum a Luciano omissum esse.

In verbis c. 6 πλέων Ὀρέστης ἅμα τῷ φίλῳ. εἶτα — διαφθαρείσης — τῆς νεὼς συνειλημμένος καὶ — παρεσκευασμένος, καὶ ἡ Ἰφιγένεια ἤδη κατάρχεται αὐτῶν καταντικρὺ δὲ — ἤδη ἐκδεδυκὼς τὰ δεσμὰ γέγραπται, καὶ φονεύων — καὶ τέλος ἀποπλέοντες, ἔχοντες . . . . plus neglegentiæ quam artis inesse neque Jacobum dicentem hanc orationem commotiori animo aptam esse recte iudicasse Guttentagio consentio. Sed aliis quoque locis invenimus eandem neglegentiam, ut nos adduci non necesse sit, ut eam a Luciano alienam arbitremur. Conferas initium libelli qui inscribitur Apologia: Πάλαι σκοπῶ πρὸς ἐμαυτόν, ἅτινά σοι εἰκὸς ἐπελθεῖν εἰπεῖν ἀναγνόντι ἡμῶν τὸ περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων βιβλίον· ὅτι μὲν γὰρ ἀγελαστὶ διεξῄεις αὐτὸ καὶ πάνυ μοι πρόδηλον. De Paras. 51 οὐδεὶς ἂν ὑποσταίη θηρίον ὁμόσε ἰόν, ὁ δὲ παράσιτος αὐτά τε ἐπιόντα μένει. Adv. indoct. 23. προδώσει γάρ σε καὶ ἀποκαλύψει τὰ ἄλλα ὑμῶν γνωρίσματα.

Pag. 10 G. res, quæ c. 6 narrantur, ita ut scriptor proferat pingi non posse atque picta fuisse inepte narrari contendit. Sed difficultas non tanta est, quanta videtur; suspicandum est non unam fuisse tabulam sed multas, quibus res variæ perbene pingi potuerunt. Sed non hoc loco solo pictura ita describitur, sed etiam Pro merc. cond. 42, quo loco etiam statuendum est res quæ narrantur una tantum tabula pingi non potuisse, sed compluribus. Omnino autem, antequam talibus de locis dicamus, in usum ἐκφράσεων quæ vocantur accuratius inquirere nos opus est.

In c. 8 enuntiato οὐ μόνον ἄρα τοξεύειν ἀγαθοὶ ἦσαν Σκύθαι . . . . ἀλλὰ καὶ ῥῆσιν ἁπάντων πιθανώτατοι vocabulum ἦσαν male exhibitum esse. Quæ dicit Græcus Scythæ, qui paulo ante permultis verbis res ab Oreste et Pylade gestas narravit et nimia laude extulit. Non sine causa G. adnotat: potuit quidem scribi ῥῆσιν ἄρα εἰπεῖν πιθανώτατος ἦσθα, ut sententia esset: „tum cum dicebas te sollertem præbebas“, hoc vero „Scythæ ad persuadendum callidi erant, cum loquebaris“ prave dictum est. Sed haud scio an accipi possit vobabulum εἰσίν aut tale quid post πιθανώτατοι desiderari; permultis enim locis Lucianum verba omisisse ita, ut enuntiata haud raro non perfecta videantur, iam Du Mesnilius (p. 54 sq.) et Schmidius (Der Atticismus in seinen Hauptvertretern von Dionysius von Halicarnass bis auf den zweiten Philostratus p. 423) sat multis exemplis allatis probarunt. E. g. Pisc. 51 οὗτος γοῦν καὶ αὐτὸς ἐπὶ κεφαλὴν μετὰ τῶν ἄλλων sc. ἴτω. Dial. Mer. 3, 3 φιλοτιμότερον, ὦ θύγατερ, sc. ἐποίησας Iup. trag. 46 εὖ γε Τιμόκλεις ταῦτα καὶ ἰσχυρῶς τῷ παραδείγματι sc. εἴρηκας. Si igitur ἦσαν ad priorem tantum enuntiati partem referimus, hunc sensum habemus: Scythæ antiquitus sagitarii erant (et etiamnunc sunt), iam autem disertos quoque se præstant. Imperfecto quidem id significari constat, quod tempore præterito existere cœpit et usque ad nostrum tempus pertinet.

Pag. 11 G. plura de c. 9 exponit, quæ quamvis subtilia sint, tamen non plane probanda videntur. Non satis perspicuum esse, quid in enuntiato οἴχονται ὑμῖν ἐκποδὼν ἀποπτάμεναι αἱ πολλαὶ ἐκεῖναι τραγῳδίαι, τοῖς κενοῖς . . . . ἀπολιποῦσαι vox τραγῳδίαι valeat. Nam ea, inquit, quæ antecedunt: καὶ ὁπόταν ὑμῖν οἱ τραγῳδοὶ τὰς τοιαύτας φιλίας ἐπὶ τὴν σκηνὴν ἀναβιβάσαντες δεικνύωσι, adducunt ad credendum tragœdias, in quibus de amicitia agatur, significari, præsertim cum αἱ πολλαὶ ἐκεῖναι voci quæ est τραγῳδίαι adiunctum sit; quæ autem sequuntur: τοῖς κενοῖς καὶ κωφοῖς προσωπείοις ἐοικότας ὑμᾶς ἀπολιποῦσαι, ἃ διῃρμένα τὸ στόμα . . . . . οὐδὲ τὸ σμικρότατον φθέγγεται, ad hanc significationem non quadrant, sed ad eam, quam Latinorum quoque vocabulum quod est tragœdiæ habeat, id est ad magnificas orationes, quæ dici possunt in ore Græcorum esse, avolare tamen, cum officia præstanda sint, similes eos (Græcos) vanis et mutis personis relinquentes, quæ ore hiante ne minimam quidem vocem emittant. Uni igitur eidemque vocabulo alia vis subicienda videtur, si antecedentia respicis, alia si sequentia attendis". Sed verba ὥσπερ τὰ ὀνείρατα οἴχονται ὑμῖν ἐκποδὼν ἀποπτάμεναι vix exhiberi possunt de orationibus ab hominibus dictis sive habitis; ad tragœdias ab hominibus visas tantum quadrant. Cum somniis vero ea quæ vidimus comparari optime possunt, ea quæ quis dixit velut somnium ei avolare dici posse neminem probare puto. Accedit quod scriptor ad rem accuratius declarandam personas ipsas affert (τοῖς κενοῖς τούτοις καὶ κωφοῖς προσωπείοις ἐοικότας); nisi hoc loco cogitasset de theatro sive de fabulis illis de amicitia, quæ agebantur, vix ita scripsisset.

Pag. eadem dicit de verbis ὅπερ τῆς Σκυθικῆς ἐπιτίμιόν ἐστιν. quæ in extremo capite leguntur. Quem locum corruptum esse viri docti iam diu intellexerunt; itaque ἥττης Σκυθικῆς scribendum esse coniecerunt. Sed iure ad hanc coniecturam G. adnotat dextram amputari pœnam Scythicæ cladis nullo pacto dici posse. Optime O. Spathius verba in ὅπερ ἥττης Σκύθῃ ἐπιτίμιόν ἐστι mutari vult. Hanc coniecturam, quam ut hic adscriberem, benigne mihi permisit, fecit collatis verbis De saltat. 4: παρ᾽ ὅσον τοῖς μὲν τοῦ λώτου γευσαμένοις καὶ τῶν Σειρήνων ἀκούσασιν ὄλεθρος ἦν τῆς τε ἐδωδῆς καὶ τῆς ἀκροάσεως τοὐπιτίμιον.

Ad singula amicorum paria tractanda progrediens G. commune vitium omnibus narratiunculis hoc inesse dicit, „quod amicorum alter omnia in eum collata beneficia iners accipit, nullum ipse alteri officium præstat, neque quicquam agit, quo se dignum amicitia præbeat". Hoc dignum esse quod tam acriter vituperetur, G. non concedendum est. Narratur quidem a scriptore homines quidam quam bene et insigniter erga amicos se gesserint neque quæritur unde amicitiæ ortæ sint, mores amicorum quales fuerint. Quæ enim officia Orestes Pyladi præstitit, quæ egit, quibus se amicitia dignum præbuerit, antequam in Scythas venerunt? Nescimus. Pylades vero eum comitatur, omnia pericula cum amico subit, pro illo vel moriturus est; Orestes vero quod eum adiuvat contra hostes aggredientes non nimia laude dignus est. Re vera quod G. de amicorum paribus monet, nos de Oreste et Pylade haud minore iure monere possumus.

Sed hac re prætermissa in totum librum animadvertit eaque quæ proferantur vera esse credi posse negat; multa exornandi causa et ad gravitatem rerum augendam allata esse. „Quoniam plurima, quæ exornandi causa et, ut gravitas rei augeatur, produntur, commenticia esse patet, et quod nonnullas dialogi narrationes totas non esse veras vel per se apparet, vel facile demonstrari potest, nulla est causa, cur existimemus argumenta nonnullarum non esse ficta, quod eius modi sunt, ut demonstrari non possit ea commenticia esse". Hæc omnia G. concedenda sunt neque quemquam esse puto qui ab eo dissentiat; nec non omni iure iam initio dissertationis dixit ea quæ de Scythis inaudita et singularia narrentur, ficta et commenticia esse. Quid inde sequitur? dialogum non a Luciano scriptum esse? minime. Non minus aliis scriptis Lucianus res auget et exornat atque talia narrat, quibus fides tribui nequit. Immo vero quærendum est, quid Lucianus rem ita tractans spectaverit. Verisimillimum est scriptorem per totum dialogum ironiam quandam exhibuisse. Uterque enim et Græcus et Scytha ne superetur timet itaque maxime operam dat, ut res quas narrat quam maximas et clarissimas efferat, et hanc ob rem pauca quæ vera videri possunt mendaciis et commentis circumdat. Quomodo dialogus venustus fit, cum, si res nudæ proferrentur, nos minime delectaremur. Hoc esse consilium Luciani iam inde cognosci potest, quod Toxaris iam initio dialogi obtestatur Scythas non eodem modo quo Græci verbis tantum sed factis amicos se præbere atque tum iterum atque iterum promittit se simplicissime narraturum esse, quoniam talia sibi narranda sint, qualia omnibus hominibus admirationi sint; sibi quidem hac de causa multis verbis non opus esse. (Conferas c. 9, quo loco Toxaris ad Mnesippum hæc dicit: ὅτι δὲ οἱ φίλοι Σκύθαι πολὺ πιστότεροι τῶν Ἑλλήνων φίλων εἰσὶ καὶ ὅτι πλείων φιλίας λόγος παρ᾽ ἡμῖν ἢ παρ᾽ ὑμῖν, ῥᾴδιον ἐπιδεῖξαι. C. 25 πλὴν ἄρξομαί γε ἤδη μηδὲν ὥσπερ σὺ καλλιλογησάμενος. C. 42 καίτοι ἐγὼ μέν σοι γυμνὸν τὸ ἔργον διηγησάμην· εἰ δὲ σύ τινα τοιοῦτον ἔλεγες, εὖ οἶδα. ὁπόσα ἂν κομψὰ ἐγκατέμιξας τῷ λόγῳ, οἷα ἱκέτευεν ὁ Δάνδαμις καὶ ὡς ἐτυφλοῦτο καὶ ἃ εἶπε καὶ ὡς ἐπανῆκε καὶ ὡς ὑπεδέξαντο αὐτὸν ἐπευφημοῦντες οἱ Σκύθαι καὶ ἄλλα ὁποῖα ὑμεῖς μηχανᾶσθαι εἰώθατε πρὸς τὴν ἀκρόασιν.) Nihilominus, quod G. rectissime diss. p. 27 adnotat, oratio Scythæ a Græci oratione minime diversa est. Non minus quam Græcus res, quas narrat, augere et exornare studet neque eius narrationes breviores sunt quam Græci. Omnia, quæ G. pag. 27 de Scytha grandiloquo et loquaci dicit, vera esse puto. — Nonne igitur apparet Lucianum nihil alind agere, nisi ut libello suo oblectemur et cum gaudio fabulas legamus? Minime vult nos omnia re vera ita facta esse ut narrantur putare, amicos illos præclarissimos admirari dignosque quos imitemur ducere. Multa vero hic G. protulit, quibus assentiri nos necesse est, sed tantum abest, ut ea quæ inde concludenda esse sibi persuasit atque quæ rem porro tractans scribit probanda, ut contra haud pauca refellenda videantur.

In singulis enim enarrandis multa esse peccata G. videntur. Jam primæ narratiunculæ offendit in verbis (c. 12) μόνος μετ᾽ ἐκείνων ἐκώμαζε λανθάνειν πειρώμενος τὸν Ἀγαθοκλέα. quæ repugnent eis quæ antea dicta sint Agathoclem a Dinia non pluris æstimatum esse quam ceteros adulatores. Hunc locum iure moneri a G. non puto. Agathocles et Dinias inde a pueris amicissimi erant; adulescens autem Dinias luxuriæ cum nonnullis aliis adulescentibus se dare cœpit et inter convivia amicitiam Agathoclis oblitus hunc non iam pluris ducit quam compotores suos; immo vero cum Agathocles incipiat Diniam admonere, ut ab his libidinosis voluptatibus abstineat neque divitias a patre cum labore partas tam temere effundat, hic amicum suum, ut molestas adhortationes effugiat, evitat.

Neque minus non plane probanda videntur, quæ G. deinde dicit. Tum etiam, inquit, hoc inepte fictum est, quod parasiti id studuisse narrantur, ut amore Charicleæ Dinias incenderetur; nam cum eorum interesset, ut ipsi quam maximas ab eo prædas facerent, stulte agebant, si sociam lucri ultro quærebant. Sed vix stulte egerunt adulatores illi hoc modo causas suas cum Chariclea communicantes; nam iam maiores prædas agere possunt quam

pristino tempore, quo nihil aliud nisi convivia impetrabant. Brevi tempore Dinias ab eis nunc omnibus rebus familiaribus privatur. Atque rem ita intellegendam esse patet ex c. 16, quo dicuntur adulatores, postquam Chariclea ad alium adulescentem attenderit animum, statim ad eum transcurrisse, ut nimirum una cum Chariclea huius quoque res et pecuniam elicerent.

Deinde verba c. 13 καὶ δέος οὐδὲν ἦν μή τι ἀντείποι Χαρίκλεια vituperat. Quæ quidem male addi putat, quod antea iam commemoratum sit Charicleam Diniæ, ut eum ad amorem incitaret, litteras coronasque aliasque res misisse. Sed hæc vix quicquam valent, quoniam verba καὶ δέος κτλ. in universum dicta sunt neque ad Diniam aut adulatores spectant. Extant enim hæc verba: ἡ Χαρίκλεια δὲ ἦν ἀστεῖον μέν τι γύναιον, ἑταιρικὸν δὲ ἐκτόπως καὶ τοῦ προστυχόντος ἀεί, καὶ εἰ πάνυ ἐπ' ὀλίγῳ ἐθελέσειέ τις, καὶ εἰ προσίδοι τις μόνον. εὐθὺς ἐπένευε καὶ δέος οὐδὲν ἦν, μή τι ἀντείποι Χαρίκλεια.

Quod c. 13 et 14 eædem res sæpius iterantur, plura addi non opus est, quoniam iam supra hoc de usu Luciani dictum est.

Perverse dicta esse G. putat c. 15 med. καὶ οὐκέτι ἐφοίτα πρὸς αὐτόν. Addit quidem: id offensionem habet, quod dicitur Chariclea non iam frequentasse domum Diniæ, cum ea, quæ c. 16 atque c. 17 proferuntur, clare indicent Diniam in Chariclеæ domum ire solitum fuisse. At verba num vertenda sint „non iam frequentavit domum Diniæ“ dubito; simplicior vero et probabilior est interpretatio „non iam ad eum ibat“; quod si ita interpretamur, verba etiam ad domum Chariclеæ referri possunt. Id quidem pro certo stat Diniam non in omnium oculis Charicleam, quippe quæ uxor fuerit, adire potuisse, sed clam aliquem locum aut aliquod in conclave abditum convenisse amantes. Quomodocunque res se habet, de Diniæ domo cogitari non necesse est.

Verba c. 17 αὐτόν τε ἀποκτείνει τὸν Δημώνακτα πατάξας εἰς τὸν κρόταφον καὶ τὴν Χαρίκλειαν, οὐ μιᾷ πληγῇ ταύτην, ἀλλὰ καὶ τῷ μοχλῷ πολλάκις καὶ τῷ ξίφει τοῦ Δημώνακτος ὕστερον perplexa esse G. videntur. Sed hoc loco verba antecedentia enuntiati non prætermittenda erant. Legitur enim ὁ δὲ συνιδὼν οὗ κακῶν ἦν, μοχλόν τινα πλησίον κείμενον ἁρπάσας αὐτὸν δὲ ἀποκτείνει κτλ. Si ad totum enuntiatum respicimus, nihil sane offensionis inesse manifestum est in verbis „non una plaga Charicleam interficit, sed etiam sera sæpe et gladio Demonactis postea“. Nam ita perbene demonstratur, quanto odio et furore Dinias homo infelicissimus exarserit.

Ad c. 17 verba καὶ τὸ μέχρι τῆς ἕω παρὰ τῷ Ἀγαθοκλεῖ διέτριβεν, ἀναλογιζόμενοι τὰ πεπραγμένα καὶ περὶ τῶν μελλόντων ὅ,τι ἀποβήσεται σκοποῦντες recte interpretanda viri docti ex Alexandro attulerunt verba: κοινωνήσας Βυζαντίῳ τινὶ χορογράφῳ . . . πολὺ καταρατοτέρῳ τὴν φύσιν περιῄεσαν γοητεύοντες. Quæ ad hunc Toxaridis locum iure moneri negat G.; dicit enim: „hoc tantum commemoro: cum quis coniunctus cum aliquo aliquid fecerit, facile apparere atque dici posse ambos id fecisse; cum vero quis apud aliquem commoratus aliquid fecerit, ex hoc non sequi, ut ambo id fecerint“. Non minus subtiliter G. hic se gerit quam aliis locis. Immo vero eum, priusquam tale quid pro certo affirmavit, necesse erat hunc in usum dicendi Græcorum, nominatim Luciani accuratius inquirere. Nec non iure dici posse puto Agathoclem unacum amico suo, cuius saluti semper consuluerat, idem reputasse itaque cum eo coniunctum idem fecisse. Fortasse ad Toxaridis verba locus, qui Bis accus. 32 legitur, melius quadrat: καλῶς εἶχέ μοι . . . ἐς δὲ τὴν Ἀκαδημίαν ἢ ἐς τὸ Λύκειον ἐλθόντα τῷ βελτίστῳ τούτῳ Διαλόγῳ συμπεριπατεῖν ἠρέμα διαλεγομένους, τῶν ἐπαίνων καὶ κρότων οὐ δεομένους.

Lucianum persæpe vel dure vel neglegenter scribere iam dictum est; itaque non iam repugnaturus sum G., qui rursus tales locos monet. Vituperat, ut hæc afferam, verba c. 62 ἤδη δὲ καιρὸς ἂν εἴη κεκρίσθαι, ὁπότερον ἡμῶν ἢ τὴν γλῶτταν ἢ τὴν δεξιὰν ἀποτετμῆσθαι δέοι. Quod neglegenter dictum esse contendit, cum dicendum sit: „iam vero igitur tempus est diiudicandi, utrum tibi lingua an mihi dextra amputari debeat“. Melius sane locus dici potuit; sed hæc verba a Luciani scripta esse iam inde apparet, quod perfecti infinitivus pro infinitivo præsentis exhibitus est. Lucianum enim post verba βούλεσθαι, χρῆναι, δεῖν, ἐξεῖναι, alia simili significatione infinitivo perfecti pro infinitivo præsentis sæpissime usum esse a Du Mesnilio comment. pgg. 12 et 13 multis locis allatis probatum est.

In enuntiato c. 61 ἡ γυνὴ δὲ φέρουσα τὸ βρέφος εἵπετο ἀκολουθεῖν κελεύσασα καὶ τὴν κόρην, ἡ δὲ ἡμίφλεκτος ἀφεῖσα τὸ παιδίον ἐκ τῆς ἀγκάλης μόλις διεπήδησε τὴν φλόγα offendere G. contendit pronomen ἡ δέ; nam eum qui legat, propterea quod κόρην vocem ἡ δὲ pronomen proxime sequatur, aliter intellegere non posse, quam si verbis ἡ δὲ ἡμίφλεκτος . . . . puella significetur. Sed constructio verborum vix tam aspera est, ut ita vituperetur, quoniam statim additis verbis ἀφεῖσα τὸ παιδίον intellegitur, quænam verbis ἡ δὲ significetur. G. si omnes in libellos eadem subtilitate animadvertisset, certe multos locos asperos invenisset atque haud scio an non minore iure hoc loco offendisset: οἱ δὲ δήσαντες ἡμᾶς ῥοδίνοις στεφανοῖς ὡς τὸν ἄρχοντα, παρ' ὧν δὴ κτλ. (Ver. hist. II, 6.)

Quod G. c. 12 verba ἐν τοσούτῳ vituperat eaque satis dure dicta putat, cum nulla diserta temporis significatio antecedat, ad quam referantur, afferre velim hanc notionem non hoc uno loco ita inveniri. Eodem modo, ut hos locos moneam, legitur Dial. Mar. 5, 1 ὁ γὰρ Ποσειδῶν ἐκέλευσέ με ἀκύμαντον ἐν τοσούτῳ φυλάττειν τὸ πέλαγος et Ἡ Θέτις μὲν ἤδη καὶ ὁ Πηλεὺς ἀπεληλύθεσαν ἐς τὸν θάλαμον . . . . ἡ Ἔρις δὲ ἐν τοσούτῳ λαθοῦσα πάντας . . . ἐνέβαλεν ἐς τὸ ξυμπόσιον μῆλόν τι πάγκαλον. Neutro loco diserta temporis significatio notioni ἐν τοσούτῳ antecedit, itaque mea sententia locus Toxaridis offensionem non præbet.

Eodem modo offensionem habere verba c. 29 οὐδὲν τοιοῦτον G. videntur, cum nihil præcedat, ad quod pertineant. Narratur quidem hoc loco Antiphilus sceleris nefasti accusatus, quamquam innocens fuit, in carcerem coniectus ibique crudelissime vexatus esse; pergit scriptor εἰ δ' ἀπολογοῖτό ποτε λέγων ὡς οὐδὲν τοιοῦτον εἴργασται, ἀναίσχυντος ἐδόκει καὶ πολὺ πλέον ἐπὶ τούτῳ ἐμισεῖτο. Verba οὐδὲν τοιοῦτον ad ea quæ Antiphilo crimini data sunt bene pertinere quemque assentiri puto, nisi forte quis nimia subtilitate utitur. Neque puto offensionem præbere verba c. 56 πάνυ τραγικά, ὦ Τόξαρι, καὶ μύθοις ὅμοια· καὶ ἵλεως μὲν ὁ Ἀκινάκης καὶ ὁ Ἄνεμος εἶεν, οὓς ὤμοσας· εἰ γοῦν τις ἀπιστοίη αὐτοῖς, οὐ πάνυ μεμπτὸς εἶναι δόξειεν ἄν, quamquam vox αὐτοῖς male ad verba μύθοις ὅμοια referri, cum interposita sint verba ὁ Ἀκινάκης καὶ ὁ Ἄνεμος, concedo. Maiore quidem iure moneri possunt verba Conv. 9 ἐνεδοιάζετο πότερον χρὴ πρότερον Ζηνόθεμιν τὸν Στωϊκὸν ἅτε γέροντα ἢ Ἕρμωνα τὸν Ἐπικούρειον; quem ad locum supplendum est verbum κατακλίνεσθαι, quod septem versibus supra legitur.

Idem valet ad c. 18 καταδικάσας δὲ αὐτὸς αὑτοῦ διέτριβεν ἐν Γυάρῳ, quæ G. sententia non elegantis sed inflatæ orationis sunt. Sed quicunque Luciani scripta perlegit, iam cognovit haud raro eum, imprimis in libris, quos iuvenis composuit, tumidis et exquisitis minime elegantibus dictionibus uti, quamquam, ut G. verbis utar, tumidum eius modi sermonem in Rhet. præcept. et in libro de conscr. hist. vehementer vituperat et acerbe deridet. Simillimus

locus extat Peregr. 4: διὰ πυρὸς ἐξάγειν τοῦ βίου διέγνωκεν ἑαυτόν. Tyrannoc. 11 εἰ δι' ἐμὲ τὸ μηκέτ' εἶναι ἔχει.

Ex altera Mnesippi narratiuncula mea sententia optime intellegi potest res consulto a scriptore exauctas esse. Nam ea quæ narrantur simplicissima sunt atque talia semper et ubique accidere possunt; cum autem Mnesippus res exornare et omnibus viribus augere studeat, necesse est ineptias eum proferre, quæ vix quemquam effugiant. Neque dissentio a G. dicente multum inesse strepitum verborum. Idem dicendum est de fabula sequenti. Quod autem G. monet c. 23 Toxarim aliquid laudare, quod c. 35 irrideat, addere velim Lucianum idem alias quoque peccare. Sed cum G. infra idem impugnet, si ad illum locum progressus ero, ea de re accuratius dicam. Quæ G. de quarta Mnesippi fabula exponit, equidem accipio. Talia ei scribunt, qui fabulas fictas ad lectores oblectandos narrant; neque quisquam inveniatur, qui ea vera esse credat.

Pro verbis c. 24 ἐπίγαμος ἤδη καὶ ὀκτωκαιδεκαέτις οὖσα, quæ G. inepta dicta esse putat, cum dicere aptius potuerit scriptor ὀκτωκαιδεκαέτις ἤδη καὶ ἐπίγαμος οὖσα, editores iam scripserunt ἐπίγαμος ἤδη ὀκτωκαιδεκαέτις οὖσα.

C. 26 ἀφορᾷ δὲ ἐς τὸν φίλον καὶ τὸν Μενεκράτην, quem locum G. monet, quod supervacuo notio singularis generali notioni adiuncta videatur esse, Madvigius (Advers. crit.) sanare conatus est scribens οὐδὲν pro οὐδὲ enuntiati sequentis et enuntiatum hoc antecedenti enuntiato adiungens, ita ut legatur . . . . ἀφορᾷ δὲ ἐς τὸν φίλον καὶ τὸν Μενεκράτην οὐδὲν οἴεται χεῖρω πρὸς φιλίαν ὑπὸ τῆς ψήφου τῶν ἑξακοσίων γεγονέναι. Mutatio hæc lenis num probanda sit necne in medio relinquam.

Verba c. 24 hæc μάλιστα δὲ αὐτὸν ἠνία θυγάτηρ αὕτη ἐπίγαμος ἤδη ὀκτωκαιδεκαέτις οὖσα, ἣν οὐδὲ μετὰ πάσης τῆς οὐσίας τοῦ πατρός, ἣν πρὸ τῆς καταδίκης ἐκέκτητο. ἠξίωσεν ἄν τις τῶν γε ἀγενῶν καὶ πενήτων ῥᾳδίως παραλαβεῖν οὕτως κακοδαίμονα οὖσαν τὴν ὄψιν plane perversa esse et nescio quid a communi intellegentia alienum continere G. videntur. Dicit quidem hæc fere verba expectari: pater Menecrates bonis publicatis tristitia affectus est, quia videbat, fore ut nemo hominis pauperis atque capite deminuti filiam deformem in matrimonium ducere vellet, cum divitis atque nobilis etiam turpem filiam fortasse iuvenis ignobili loco natus et pauper uxorem duxisset; scriptorem Toxaridis autem perverse exhibere: „Menecrates, bonis privatus capite deminutus, maxime mæstus erat propterea, quod filiam iam nubilem habebat, quam ne omnibus quidem in dotem collatis fortunis, quas antequam damnatus erat possederat, ullus homo ignobilis et pauper uxorem ducere voluisset". Sed non puto G. recte iudicasse, quoniam in interpretatione vocabulum ῥᾳδίως plane neglexit. Sensus quidem hic est: donec Menecrates dives erat, sperare quidem potuit inveniri fortasse quemquam iuvenem, qui filiam quamvis turpissimam in matrimonium duceret, nunc autem omnibus bonis privatus omni spe deiectus est neque quicquam boni eventurum ei sperare licet. Concedendum est a scriptore rem nimis exauctam esse, ut demonstretur, quanta et quam mira benignitate Zenothemis in Menecratem fuerit, sed locum tam ineptum esse, ut appareat scriptorem hominem ingenio tenui fuisse, nolo assentire Guttentagio.

Maxime invehitur G. in ea quæ c. 26 narrantur, infantem in curiam latum arrisisse senatoribus manibusque plausisse atque hoc facto graves illos atque severos viros misericordia fractos esse. Nihil ei opponendum est neganti talia commenta, quæ in fabulis romanensibus legi solent, Luciano digna esse, sed ea a Luciano non scripta esse his verbis non probatum

est. Immo vero iam inde perbene intellegi posse videtur Lucianum scriptorum ætate sua florentium commenta et rationem scribendi imitatum esse.

Mnesippi verba (c. 26) τοιαῦτα ὁ Μασσαλιώτης ἔλεγε τὸν Ζηνόθεμιν εἰργάσθαι ὑπὲρ τοῦ φίλου. ὡς ὁρᾷς, οὐ μικρὰ οὐδὲ ὑπὸ πολλῶν ἂν Σκυθῶν γενόμενα, οἵγε κἂν τὰς παλλακὰς ἀκριβῶς τὰς καλλίστας ἐκλέγεσθαι λέγονται num digna sint, quæ tam acerbe vituperentur, dubitandum est. Est quidem iocus lenis, quo Græcus Scytham cavillari conatur. Aliis quoque locis (cf. c. 11) Mnesippus Toxarim leniter illudere solet.

Quintæ narratiunculæ c. 27 verba καὶ δήποτε ὁ μὲν Δημήτριος ἔτυχεν ἐς τὴν Αἴγυπτον ἀποδημῶν num recte a G. moneantur dubitare velim. Hæc dicit G.: primum quidem neglegentissime, cum c. 27 dictum sit amicos in Aegyptum navigasse (συνεκπλεύσας γὰρ ἐς τὴν Αἴγυπτον ὁ Δημήτριος Ἀντιφίλῳ) atque eos advenisse Alexandriæque morari appareat, infra scriptum est aliquando accidisse, ut Demetrius peregrinationem in Aegyptum susciperet (καὶ δήποτε κτλ): quomodo enim fieri oportet, ut is qui in Aegypto iam moratur, in Aegyptum proficiscatur?" Sed mea sententia non est, quod locum corruptum aut perversum existimemus; nam ἀποδημεῖν verbum per se non significat e terra in aliam discedere, sed tantum locum aliquem deserere. Hanc significationem simplicem Lucianum adhibuisse probatur aliis locis; afferam Phalar. II, 6 ὃν ἴσμεν οὐδ' ἄχρι τοῦ πλοίου ἀποδεδημηκότα. De dea Syria 33 ἀποδημέει δὲ δὶς ἑκάστου ἔτεος ἐς θάλασσαν ἐς κομιδὴν τοῦ εἶπον ὕδατος et 36 λέγει δὲ καὶ τοῦ σημηίου πέρι, κότε χρή μιν ἀποδημέειν τὴν εἶπον ἀποδημίην. Liber de dea Syria iam a viris doctis Luciano denegatus est. Nuper autem Rothsteinius (lib. p. 37) genuinum esse eum contendit his verbis: „Similis condicio est libelli De dea Syria, in quo Luciani patria adeo aperte indicatur (c. 1 et 60) ut, si esset non Lucianeus, fingendus esset imitator imitatus Lucianum imitantem Herodotum. Quæ autem ad hunc libellum et ad opusculum De astrologia de dialecto monuerunt, quam rem cur credamus diligentius quam cetera solet tractasse Lucianum non video; iis non plus probatur quam eo quod superstitionem quæ in utroque libro apparet a Luciani ingenio abhorrere putaverunt, cum tamen fictum hoc quoque esse ad Herodoti exemplum et per se appareat et dudum observatum sit, neque minore iure offendas in Veræ historiæ libris, quorum comparatione libellus de dea Syria optime illustratur". Quoquo modo res se habet, id constat verbum ἀποδημεῖν hac significatione usurpatum legi. Vix igitur negandum est ἀποδημεῖν ἐς τὴν Αἴγυπτον quadrare; Demetrius enim ad pyramidas visendas Alexandria decessit et in Aegyptum penetravit. —

Ad ea, quæ G. deinde hac de fabula, qua Antiphili et Demetrii amicitia narratur, multis verbis disserit, nihil addendum est; omnes enim ei consentiunt, res ita narratas esse, ut vix quisquam eas re vera accidisse putet. Hoc tantum monendum est. Cum amici illi, quod non cum aliis effugere e carcere conati erant, ab Aegypti præfecto e vinculis emitterentur, non accipiebant hanc gratiam, ne viderentur propter misericordiam tantum emitti (c. 33 ἀλλ' οὐκ ἐκεῖνοί γε ἠγάπησαν οὕτως ἀφιέμενοι, ἔβοα δὲ ὁ Δημήτριος καὶ δεινὰ ἐποίει, ἀδικεῖσθαι σφᾶς οὐ σμικρά, εἰ δόξουσι κακοῦργοι ὄντες ἐλέῳ ἢ ἐπαίνῳ τοῦ μὴ ἀποδρᾶναι ἀφεῖσθαι). Postulant igitur, ut quæstio habeatur. Nunc vero quæstione iudices intellegunt amicos innocentes esse et eos omni crimine absolvunt. Jam omnia bene se habent. Sed c. 34 scriptor ad hanc quæstionem habitam enarrandam redit, ut quanta et quam insignis amicitia illorum fuerit accuratius et disertius explicet; iam dicit: . . . . καὶ αὐτὸς ἄν σοι τοὺς λόγους διεξῆλθον πολλοὺς καὶ ἀγαθοὺς ὄντας, οὓς ὁ Δημήτριος εἶπεν . . . ὑπὲρ τοῦ Ἀντιφίλου, καὶ δακρύων προσέτι καὶ ἱκετεύων καὶ τὸ πᾶν

ἐφ᾽ ἑαυτὸν ἀναδεξόμενος . . . Quos ad locos G. hæc adnotat: „atqui quid flendo et supplicando aliud efficere potest, quam ut misericordiam iudicum concitet, cum tamen nolit videri se et amicum a præfecto propter misericordiam ex custodia emissos esse? Porro non vult scelestus videri, nihilominus totius rei culpam ipse præstat!“ Quæ a G. iure dicta esse neminem negare puto; nam re vera loci inter se repugnant. Sed minime inde concludi licet hæc a Luciano non scripta esse; nam haud paucos locos apud eum invenimus, quibus idem peccat. Hos affero: Philops. 20 legimus οὗτος ἐπεχείρησε νυκτὸς ὑφελέσθαι πάντα ἐκεῖνα καὶ ὑφείλετο καταβεβηκότα ἤδη τηρήσας τὸν ἀνδριάντα. Voces πάντα ἐκεῖνα significant aurum et argentum, quod partim ad pedes statuæ positum partim in corpore eius infixum erat; quomodo igitur omnia surripi potuerunt, cum statua omnino non adesset? Simili modo de merc. cond. 39 θυλάκου δὲ μείζω τὴν γαστέρα ἐργασάμενος, ἀπλήρωτόν τι καὶ ἀπαραίτητόν τι κακόν non quadrant ad ea quæ antecedunt, quoniam supra (c. 29) dictum est philosophum, de quo dicitur, non satis cibi accepisse. Dial. meretr. 15, 1 legitur ὥστε οὐκ οἶδα εἰ βιώσεται ὁ ἄνθρωπος et paulo infra c. 2 ἀπέρχεται δὲ καὶ ὁ γεωργὸς ὀψόμενός τινας φίλους τῶν ἀστικῶν, οἳ παραδώσουσι τοῖς πρυτανεῦσι τὸν Μεγαρέα. Quæ quamquam inter se discrepant, tamen ad eundem hominem pertinent. Afferri etiam potest Dial. mort. 7, 2 verba ἐγὼ δὲ αὐτίκα μάλα ἐκτάδην ἐκείμην ὑποβολιμαῖος ἀντ᾽ ἐκείνου νεκρός repugnare sequentibus, quibus is qui veneno necatus est narrat, quæ post mortem in terra facta sunt. — Quæ cum ita sint, non est quod offendas c. 39 verbis καὶ τὰς ἁμάξας κατελαμβάνοντο, αὐτάνδρους τὰς πλείστας ἁλισκομένας. Paulo supra quidem narratum est viros militares aut occisos aut vivos captos esse præter nonnullos, qui flumen transnatarint. Quem locum G. pagg. 27 et 28 tractat.

P. 26 G. dicit: „quæstione autem habita, tormentis servis interrogatur. Sed quid opus erat tormentis, cum servus herum affinem esse sceleris non diceret? Faciamus tamen Antiphilum falso insimulatum esse, nonne servus tormentis conspectis statim herum innocentem esse confessus esset. Multa iam absurda legi, absurdiora quam hæc legi nulla“. Sed minime absurda hæc sunt, quoniam Græci servos in iudiciis tormentis dare solebant. (Cf. Meier und Schœmann, Attischer Prozess). —

C. 38 neglegenter dictum esse ἐπαίνῳ τοῦ μὴ ἀποδρᾶναι ἀφεῖσθαι, cum vix recte dici possit quemquam emitti propterea quod laudetur. Accipi fortasse potest Lucianum ita pro ἐπ᾽ ἐπαίνῳ scripsisse. Alii quoque loci inveniuntur, quibus casuum constructiones inusitatas exhibet. Du Mesnilius pgg. 8—10, Schmidius pgg. 236, 237 exempla pauca adnotant.

Septima narratiuncula optime intellegi potest Scytham ipsum, quamquam sæpius contendit se res simpliciter enarrare neque eas augere Græcorum more, quam maxime operam dare, ut omnia quæ a suis popularibus gesta sunt ita narret, ut quam maxime mira et difficillima ideoque summa laude digna videantur. Qua de causa Scytha hoc modo narrans inducatur a scriptore iam supra dictum est. Omnia igitur quæ G. ad hanc fabulam adnotat placent, quamvis haud scio an non nunquam nimis severe in res inquirat. Attendamus fabulam: Basthan quendam leo petit; amicus qui astat, statim accurrit et hominem infelicem bestia animo forti liberat. Res simplicissima paucis verbis dici potuit. Sed quam diserte et quanta verborum abundantia Toxaris hoc factum amici narrat! Non aggreditur Belitta homo ille fortissimus leonem eumque gladio ferit, sed „consistit in tergo leonis, irritando eum in se avertere studet, digitos per dentes bestiæ inserit, ut amicum ex ore eius liberet cumque fera

a semianimo Basta se in Belittam averterit eumque amplexa sit, tum graviter vulneratus moriensque eam transfigit“. — Quod autem G. dicit omnes viros doctos intellexisse hanc narrationem fictam esse, quod in Scythia leones non sint, tales lenes errores apud Lucianum extare haud paucos afferendum est. (Cf. De p. merc. cond. 37, De dea Syria 35, De hist. conscr. 38, Dial. deor. 24, 2). Equidem talem errorem Luciani neglegentiæ tribuendum esse puto, non inde apparere non Lucianum sed scriptorem quendam ineptum hunc locum scripsisse.

Non minus quam aliis locis, qui iam tractati sunt, nimis severe et accurate impugnat G. verba quæ extant c. 53 τοῦ δὲ πρὸς τὸ ἀνέλπιστον τοῦ θεάματος καταπλαγέντος καὶ χάριν ὁμολογοῦντος. Quæ argute ineptientem Toxarim dicere G. contendit; „nam solent homines, inquit, magna re attoniti omittere quod facere debent; videturque Toxaris significare Arsacomam, nisi necopinata re obstipuisset, Macentæ gratias acturum non fuisse“. Mirandum esse deinde dicit quod Arsacomas copide, gladio falci simili, Adyrmachum usque ad cingulum findat (c. 55 καὶ πατάξας τῇ κοπίδι παρὰ τὸν αὐχένα μέχρι τῆς ζώνης διέτεμε). Quo iure G. putet hoc instrumento graviter vulnerari non posse, in medio relinquamus. Sed non neglegendum est Perseum simili instrumento ornatum fingi solere. Lucianus ipse De domo c. 22 exhibet καὶ τὸ μὲν ὅσον κήτους εἶδε τὴν Μέδουσαν ἤδη λίθος ἐστί, τὸ δ᾽ ὅσον ἔμψυχον μένει, τῇ ἅρπῃ κόπτεται et Dial. mar. 14, 2 τῇ δεξιᾷ τὴν ἅρπην ἔχων, ἀπέτεμε τὴν κεφαλὴν αὐτῆς.

Monet deinde G., quæ sua sententia contra logica præcepta disposita sunt. Nonnunquam enim Toxaridis scriptorem, cum quædam ita exposuerit, quasi sequantur ex eis, quæ antecesserint, quorum causa igitur antecedentibus contineatur, eorundem novam causam postea adiungere, cum utraque aut antecedere aut sequi debeat. Huius generis tres locos affert, quibus id quod monet peccatum re vera continetur. Sed minime hac re adduci nos licet, ut negemus hos locos dignos esse, qui Luciano tribuantur, quippe qui, ut iterum Rothsteinii verba afferam, a cogitandi et dicendi severitate illa quæ ab antiquis scriptoribus posci solet quam maxime absit. Unum quidem ex tribus locis accuratius attendamus. Dicit G.: „in c. 29 hoc ὑπενόσει τοιγαροῦν ἤδη καὶ πονήρως εἶχεν, ut τοιγαροῦν docet, ex antecedentibus colligitur, et tamen postea alia morbi causa additur (οἷον εἰκὸς χαμαὶ καθεύδοντα . . .)“. Neglegenter hoc a scriptore dictum esse non negandum est; sed hanc rationem a Luciano non alienam esse haud scio an bene intellegi possit simili loco, qui extat Dial. mort. 6, 3 τοιγαροῦν γέλωτα ὀφλισκάνετε πρὸ ἐκείνων κατορυττόμενοι, καὶ τὸ πρᾶγμα τοῖς πολλοῖς ἥδιστον γίνεται· ὅσῳ γὰρ ὑμεῖς ἐκείνους ἀποθανεῖν εὔχεσθε, τοσούτῳ ἅπασιν ἡδὺ προαποθανεῖν ὑμᾶς αὐτῶν.

In eis quæ Toxaris c. 57 de sycophantis dicit G. offendit, quoniam homo tum primum in Græciam profectus, sycophantarum notitiam nondum habere possit. Item ei non placent c. 60 verba τιτρώσκεται αὐτὸς καμπύλῳ τῷ ξίφει ὑποτμηθεὶς τὴν ἰγνύαν. Quomodo enim eius, qui adversus pugnet, poples cædi possit, se non intellegere profitetur. Sed nimia subtilitate hic usus est. Utriusque loci difficultas talis est, ut is tantum offendat, qui operam dat, ut locos difficiles indaget neque præter G. vix quisquam falsi quicquam extare dicat. Præterea G. verba „neque dubito, quin Lucianus etiam hoc vulnus in illis ἀπιθάνοις τραύμασι numeraturus fuerit, quæ in libro de conscr. hist. c. 20 irridet“ non probanda esse loco illo adscripto optime appareat. Legimus enim οὗτος δ᾽ οὖν καὶ τραύματα συνέγραψε πάνυ ἀπίθανα καὶ θανάτους ἀλλοκότους, ὡς εἰς δάκτυλον τοῦ ποδὸς τὸν μέγαν τρωθείς τις αὐτίκα ἐτελεύτησε, καὶ ὡς ἐμβοήσαντος μόνον Πρίσκου τοῦ στρατηγοῦ ἑπτὰ καὶ εἴκοσι τῶν πολεμίων ἐξέθανον.

Verba c. 61 καὶ ἔφθη διεκπαίσας καθ' ὃ μηδέπω τελέως ἀπεκέκαυτο ὑπὸ τοῦ πυρός Jacobitius ita interpretatus est: „erupit ea parte domi, qua ea nondum plane incendio deleta fuerat“. Quæ interpretatio G. non probatur; nam si ita interpretemur, statuendum esse reliquas partes domi iam plane incendio deletas esse et ita mirandum esse amicos in domo incendio maxima ex parte plane deleta integros mansisse. Equidem, pergit, ne hoc quidem intellego, quomodo minore cum periculo Abauchas ea parte domus eruperit, quæ incendio nondum plane deleta fuerit, quæ igitur tum maxime flagrabat, quam ea, quæ incendio iam tota consumpta fuerit. Hæc omnia recte a G. adnotata neque Jacobitii interpretationem probandam esse, omnes puto consentire; inde autem putari non licet verba ipsa maxime implicata vel absurda esse, quoniam Stephano auctore multi loci apud scriptores Græcos inveniuntur, quibus verbum ἀποκαίεσθαι idem valet quod „aduri“; qua significatione exhibita locus plane nullam offensionem præbet.

Subtiliter G. monet verba eiusdem capitis ἀλλὰ παῖδας μὲν καὶ αὖθις ποιήσασθαί μοι ῥᾴδιον καὶ ἄδηλον εἰ ἀγαθοὶ ἔσονταί οὗτοι. Hæc potius sua sententia scribi oportuit ἀλλὰ παῖδες μὲν εἰ ἀγαθοὶ ἔσοιντο ἄδηλον, καὶ ἄλλους αὖθις ποιήσασθαί μοι ῥᾴδιον.

Jam ad finem Guttentagii dissertationis pervenimus. Certe nobis concedendum est, haud pauca inveniri in dialogo, quæ minus placent neque omnia quæ leguntur facile intellegi; sed quomodo cunque res se habet, multum abest, ut Guttentagio assentiamus, ut contra contendi licere putemus, ab homine nullo Toxarim spurium esse argumentis ad probandum firmis iam demonstratum esse. Difficultates si quæ iam extant hoc in libello, a viris doctis fore ut solvantur speremus.

Constat quidem Luciani rationem grammaticam multas in partes a ratione Atticorum discrepare; quod iam ante complures annos Du Mesnilius commentatione, quæ inscribitur: „Grammatica, quam Lucianus in scriptis suis secutus est, ratio cum antiquorum Atticorum ratione comparatur“ et nuper W. Schmidius libro „Der Atticismus in seinen Hauptvertretern von Dionysius von Halicarnass bis auf den zweiten Philostratus“ summopere demonstraverunt. Nonnulla hic adscribantur, quæ hi viri docti e Toxaride monuerunt.

Aoristus gnomicus Du Mesnilio teste apud Lucianum persæpe invenitur, quo scriptores attici raro utebantur. Præter multos alios locos Du Mesnilius adnotat etiam Tox. 48 ἐπειδὰν ἀδικηθείς τις πρὸς ἑτέρου ἀμύνασθαι βουλόμενος ἴδῃ καθ' ἑαυτὸν οὐκ ἀξιόμαχος ὤν, βοῦν ἱερεύσας τὰ μὲν κρέα κατακόψας ἥψησεν.

Sæpissime Lucianus infinitivo perfecti pro infinitivo præsentis utitur post verba volo, oportet, decet aliaque, quem ad usum Latinorum exemplo adductus esse Du Mesnilio videtur. Ex Toxaride c. 62 verba adnotanda sunt: ἤδη δὲ καιρὸς ἂν εἴη κεκρίσθαι, ὁπότερον ἡμῶν ἢ τὴν γλῶτταν ἢ τὴν δεξιὰν ἀποτετμῆσθαι δέοι, qno de loco iam supra dictum est.

De modorum imprimis de optativi usu Du Mesnilius et Schmidius multa monuerunt. Ex Toxaride adnotanda sunt verba c. 37: τοῦτο ἡμεῖς ἐπὶ τῶν φίλων ποιεῖν ἀξιοῦμεν . . . . ὡς μὴ διαμαρτάνοιμεν τῆς φιλίας μηδὲ ἀπόβλητοι δόξωμεν εἶναι. Plures quam quinquaginta locos Schmidius adnotavit, quibus eodem modo optativus pro coniunctivo usurpatur. Præterea hi loci Toxaridis monendi sunt, quibus optativus non bene exhibitus est: c. 11; 24; 52. Compluribus locis Lucianum post particulam εἰ coniunctivum scripsisse Du Mesnilius p. 23 docet. Huc spectant verba, quæ extant Tox. 7 εἰ δέ τι καὶ μικρόν τι ἀντιπνεύσῃ αὐτοῖς.

Sæpissime pro οὐ Lucianum μή exhibuisse et a Schmidio et a Du Mesnilio demonstratum

est. In Toxaride hi loci extant: c. 5 κωλύει τε οὐδέν, ὅτι ξένοι ἦσαν, ἀλλὰ μὴ Σκύθαι, ἀγαθοὺς κεκρίσθαι. c. 16 μέμψις, ὅτι μὴ πολλοῦ χρόνου ἀφίκετο. c. 20 σφᾶς δὲ ἐπιθυμεῖν μὲν αὐτοῖς βοηθεῖν . . . . , μὴ δύνασθαι δὲ μεγάλῳ τῷ πνεύματι ἐλαυνομένους. c. 27 ἤκουε γὰρ ταύτας ὑψηλὰς οὔσας μὴ παρέχεσθαι σκιάν. c. 40 ὁ δὲ λύτρα ᾔτει· μὴ γὰρ προήσεσθαι, εἰ μὴ μεγάλα ὑπὲρ αὐτοῦ λάβοι. c. 61 ἔφθη διεκπαίσας καθ' ὃ μηδέπω τελέως ἀπεκέκαυτο. c. 12 ἢ αὐτὸς εἰδὼς ἢ παρ' ἄλλων . . . . . . μηδὲν παρ' ἐμαυτοῦ ἐπιτραγῳδῶν. c. 30 ἀπαγορεύοντος δὲ αὐτοῦ καὶ μηδὲ σῖτον αἱρεῖσθαι θέλοντος. c. 35 πλὴν ἄρξομαί γε ἤδη μηδὲν ὥσπερ σὺ καλλιλογησάμενος.

Aliis autem locis, quibus μή ponendum erat, Lucianus οὐ exhibuit. Du Mesnilius præter alios multos locos Tox. 48 monuit: ἐπειδὰν ἀδικηθείς τις πρὸς ἑτέρου ἀμύνασθαι βουλόμενος ἴδῃ καθ' ἑαυτὸν οὐκ ἀξιόμαχος ὤν.

In præpositionum usu scriptorem maxime ab Atticorum ratione decedere Du Mesnilius et Schmidius accuratissime demonstraverunt. E Toxaride afferri licet c. 63 ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος, quæ elocutio aliæque similes apud Lucianum sæpissime leguntur. Eadem præpositione cum dativo coniuncta pro περὶ cum genetivo aut accusativo usus est; præter Pseudol. 3, Herod. 1, Tox. 4 quoque (ὅσον ἐπὶ τῷ πλῷ) adnotari potest.

Articulum a Luciano non semper recte usurpari et Du Mesnilius et Rothsteinius docent. Huc Tox. 49 spectat τὰ κοινὰ ταῦτα καὶ τὰ καθ' ἡμέραν ἀξιοῦσιν, quibus cum verbis Rothsteinii diss. p. 90 conferuntur Iup. trag. 13 τὰ κοινὰ καὶ τὰ καθ' ἡμέραν ταῦτα.